





PATRIÆ SPES,

ipso SPEI festo  
nata, & hucusque prorogata,  
relucente auspiciatissimo

NATALI Die

SERENISSIMI JUVENTUTIS PRINCIPIS ac  
DOMINI,

DOMINI

FRIDERICI AU-

GUSTI,

PRINCIPIS REGII,

Dignitatum & Provinciarum ELECTORATUS

SAXONIAE

HÆREDIS DESIDERATISSIMI,

PARENTUM AUGUSTISSIMORUM DELICII,

SUBDITORUM PRÆSIDII,

MUSARUM PALLADII,

PRINCIPIS ac DOMINI SUI BENIGNISSIMI:

ipso Nonis Octobr. Anni MDCCIII.

inter festivos applausus

uti SAXONIAE in universum omnis,

ita etiam

URBIS GYMNASIIQVE GORLICENSIS,

in publicâ Literatorum PANEGYRI

exposita, & DEO porrò commendata

stylô ac ore

CAROLI HEINRICI de SEBOTTENDORF.

GORLICII, TYPIS MICHAELIS ET JACOBI ZIPPERI.

8

PATRIÆ SPES  
iblo Spel teffig  
hera, g: hecadsa biotopata  
lichecute subpicatilim  
NATALI DE  
ZERENISSIMA FAVENTIA PRINCIPIS  
DOMINI  
FRIEDERICIA  
GUSTI  
PRINCIPIS REGII  
Digitatum g: Ptolemaicam ERECTORATIS  
SAXONIAE  
HEREDIS DESIDERATISSIMI  
PARVUM AUGUSTISSIMUM DETERI  
SUBDITORUM PRESIDI  
MUSARUM PATRIDI  
PRINCIPIS ac DOMINI SIT HENRICISSIMI  
Phi. No. 9099. 1600. MDCCII  
iuncte testis appulentes  
in SAXONIAE in universitate omarie  
in episcopatu  
URIS GYMNASIOAE GORLICENSIS  
in populi Pragationem LVNEGBYI  
ex quo g: DEO potio commendata  
ut sit ac oleum  
CAROLI HEINRICI ac SEROTTENDORF  
GORLICII TATIS MICHAELIS ET YACOBI ZWEIER  
\*\*\*\*\*

**SERENISSIMI ac POTENTISSIMI**  
**POLONIARUM REGIS,**  
**FRIIDERICI AU-**  
**GUSTI,**  
**FILIUM HÆREDEM,**  
**JUVENTUTIS PRINCIPEM,**  
**PATRIÆ SPEM,**  
Omnes atqve singulos  
**Nova Gloriæ SAXONICÆ**  
Incrementa atq; Ornamenta,  
Imo & Præsidia  
sperare jubentem,  
humillima & subiectissima.  
προσφάνησις.



**ROGENIES summō REGUM de Stemma-**  
**te nata—,**  
**Sive PATRIS repetam, seu quoque MA-**  
**TRIS AVOS,**

*Suscipe,*


*Suscipe, quod tentat tenuis persolvere Musa  
Munus, & aspectu non prohibeto Tuo.*

*Nam, dum TE pariter celebrare Senesque Virique  
Nunc properant: quid non leta Juventa paret?  
Ipse JUVENTUTIS PRINCEPS, isque unicus audis,  
Quem pia SAXONICO Fata dedere solo:  
Hinc meritò ante alios confert sua Vota Juventus,  
Cui TE Presidium condidit alma TRIAS.  
Non aequant, bimiles, fateor, TUA culmina voces,  
Quas contenta Scholis fundere turba solet:  
Ast, ubi vota sonant, paribus procedimus aulis;  
Non minus est minimis hic Pietatis opus.  
Ad cœlum pariter contendit summus & imus,  
Cum & aquæ commendat PRINCIPIS acta DEO.  
Ergo quid dubitem? dubio procul acta probabis,  
Quæ- mibi- cunque Tui dictitat acer amor.  
Lauta alios dare Thura juvet, dare divitis auri  
Pondera: cum mea sors fulgida dona neget,  
Non spernetur aquæ stillans TIBI gutta dicata,  
Et false libo mista farina mole.  
Multi ast multa quidem submissa voce precantur,  
Dum Natalis adest, qui TIBI vota citat:  
Verum ego, si felix ut sis, optavero, PRINCEPS,  
Omnia, quæ Pietas, dixero, vota tenet.  
**Sis igitur PIGNUS PACIS, PATRIÆ INCREMENTUM!**  
**Sic AUGUSTUS eris, sic FRIDERICUS eris.***

*AM supradicta, materna ZYTA 9. 1712  
TRIZ AVA*

*Qvod*

*zypelde*



Vod assiduis, inter tot strages hominum, & inter tot adversa fata, quorum fama tristior hucusq; aures animosq; infinito metu ac tremore circumfudit, votis expetiimus, tandem cœlitus conceditus momentum auspicato sydere relucens, qvô hinc illinc agitatas & concussas variō pavore mentes, iterum compone-re, & pristinæ quietis spe fructuq; resovere licet. Horror enim antea subibat singulorum animos, quoties effusum, qvô Europa fermè tota versus omnes cœli cardines madere pergit, sanguinem, & feros hostes ad cruenta bella consurgentis, imo, qvæ inde tandem secutura fuerint, pericula, obstupe-scentes atq; trepidi excutiebant. Nunc verò, luctu-fâ hâcce rerum facie mutatâ, metum in quietem, lachrymas in gaudia abire jussit alma immortalis Numinis clementia. Scilicet reducitur cœlestibus auspiciis *Natalis Principis*, & unici Hæredis, qvô imperium *Saxoniæ* fulcitur, atq; que renovatō flore commendatur. Omnes ergo atq; singuli, qvos insignibus *Saxoniæ* antiquitus inserta *Ruta*, velut vitis pal-mite, obumbrat, maximam ex eō capiunt lætitiam. Resonant, qui templa ambiunt parietes, innumeris lætitiam hanc designantibus Eucharisteriis; Resonant in campis, urbium circumiacentium aggeribus impositorum, repercuſſu objectorum montium, multiplicati tormentorum strepitūs; Cœunt in pagis rustici, in urbibus globatim cives confluunt; Aula laqvearibus, nec non aulæis, aurô Tyriōq; murice splendentibus, conclavia distinguit: &, ne aliqvid solennibus decadat, ludi, atq; alia lætitiae incitamenta, pari solertiâ magnificentiâq;

B

ador-

adornantur. Nec ineptè, aut supra, qvām officium  
conditioq; subditorum patitur, itali Principum.  
Natales gaudio excipiuntur. Ecqvid enim iis ter-  
ris est miserius, qvæ aut certō Successore, ob sterile  
Principis conjugium, destituuntur: aut imperium,  
in medio, qvod dicitur, si imperantem mors abri-  
piat, relictum prævidentes, bonum malumq;, pro-  
ut alea ceciderit, juxta sperant, metuuntque? Lex  
mortalitatis, cui se submittere nec ipsi Principes,  
per impotentiam, detrectant, ipsos semper anxious  
& inquietos habet. Norunt, eum quoq; Princi-  
pem, cuius vita, omnium longissimè produci vide-  
atur, commodatum sahem orbi, non perpetuo  
concessum esse. Qvare omne eorundem desideri-  
um in hōc expromit: ut contingent Principi Hæ-  
redes, Patris Majorumq; gloriam non vitiis obfu-  
scatur, sed virtutum ubere proventu prolaturi lon-  
gius, & vitam ultra' Patris cineres & busta felicis-  
simè prorogaturi. Et hæc ipsa Principis, post Pa-  
tris obitum, necessitas utilitasqve, DEUM sine du-  
bio commovit, ut, Davidi suæ in eundem propen-  
sissimæ benignitatis documenta traditurus, hoc  
promissum beneficiis præcipuis annumeraret:  
*Nunquam tibi Regni, tuomet de Sanguine prognatus,*  
hæres deerit. Sole, clariore lucis radiô, cubilibus  
desertis, prodeunte, tota terræ superficies lætatur,  
atq; quasi tacitis incedit plausibus: & teperc vernō  
resolutâ nive, ac discussâ liqvidiorem auram ob-  
scurante nebulâ, tota è latibulis, in qvibus cum  
squalore atq; situ colluctata fuerat, florum fami-  
lia, egregiâ colorum varietate picta, prodit. Sed,  
qvod cœlo Sol, his terris cœlitus provisus atq; ve-  
tus Princeps est; qvod vernus teperc plantis, flori-  
bus

bus fruticibusqve : subditorum turbæ Principis  
Natalis est. Neqve ergò qvisqvam aut mirabitur,  
aut indignabitur ; hōc ipsō die *Saxonum* lātitiam ,  
huc usq; inter crebros gemitus ac fremitus, qvos  
temporis acerbitas & furor hostium extorserat, qva-  
si sepultam, *Principis* Natali excitatam, sedēm pristinam  
repetere. Nam qvæ singulis & universis flo-  
ret ſpes & expectatio, ea sui odoris fragrantiam ,  
non potest non in omnes pariter diffundere, &  
fractas ac depressoſ mentes à langvore ad conceſſa  
& voluptatis ſenſum revocare. Musas ergò, in-  
communi hāc *Saxoniæ* totius ex Natali *Principis* per-  
ceptâ delectatione, ſolas ejulare, & lātitia expe-  
rtes eſſe, minus addecet. Scilicet, tacere, cùm &  
loqvi liceat, & par ſit, animi aut perqvām negli-  
gentis eſt, aut etiam insulſi. Sunt eqvidem obſcu-  
ro loco Muſæ poſitæ, adeò, ut Principum appro-  
pinquare throno pluribus ex cauſis erubefcant :  
ubi tamen votis, precibus, gratulandiqve juri lo-  
cus eſt, eādem, qvâ ad ſumma dignitatū culmi-  
na eveſti, benigniſſimæ admissionis impetrandæ  
ſpe fiduciāqve affatim munitæ ſunt. Atqve ea res,  
poſt alios per multos, meo ſanè animo freqventes  
ſtimulos ſubjecit, qvibus clanculum pungentibus  
admonitus *Natalem* *Principis*, ſubmiſſâ veneratio-  
ne, humili verborum appaſatu, ( neqve enim in  
ætatis iſthanc immaturitatem verba grandiora ca-  
dunt ) recolendam censui. Qvare, qvod feliciter  
ſuecedat, *Principe*, qvod ſpero, non improbaturō,  
in hāc nobiliſſimā, qvæ vobis, *Auditores ſpedatiſſi-  
mi*, abſolvitur Panegyri, SPEM PATRIÆ expen-  
dam

*Avidiſſimè desideratam*

*Beni-*

19797

*Benignissimè exhibitam  
Felicissimè servatam.*

At! Quid molior jam *Auditores?* huic enim, qvod aggressus sum, conamini non pauca remoram injiciunt obstacula. Obstat, qvæ jam mihi defluit, juventus: obstat cum eâdem nunq;am non conjuncta animi tenuitas: obstat deniq; negata rem supra hominis privati sortem positam pro dignitate pertractandi peritia. Qvare, ne in ipsô limine aut animus deficiat, aut vires metu fractæ concidant: vos omnes atq;e singuli permittite, ut in vestrâ bonitate tutum mihi perfugium concessum iri sperem. Et profectò; cur desperem, qvicq; id tandem volvam animo, nihil penes vos occurrit. Novi vestram in hunc dislerendi locum semper pronam voluntatem; Eam verò nunc tantò facilis vel uno verbô à me exoratum iri sentio, qvantò vosmet ipsi studiô addictiore *Principem*, cuius *Natalium* splendori meam hanc balbutiem sacravi, collatis. Hinc, qvod ultrò facturos *Vos* prævideo, ex more prisco, & antiquâ Lege Rethorum, enixè flagito, ut me loqventem æqvis audiatis auribus.

Nati, qvæ hoc die nobis anno qvôlibet anniversariâ festivitate sacra ac solennis est, Principis memoria, me eò compulit, ut eundem *Spei Patriæ*, petitis ex Natali die argumentis, titulo mactatum, qvoad virium tenuitas permiserit, sic verbis, vobis audiencibus, attingere susceperim, ut orationis operam— nunc prolaturo prima dicendi materia *Spes olim avi- diissime desiderata* poneretur. Qvæso enim, *Audito- res*, referte paulisper gradum, & à temporum pre- sentium articulo ad præteriorum recordationem rever-

revertimini. Non attingebat thalamus Electora-  
lis D. Johannis Georgij II. fœcunditatem Patris, filio-  
rum qvatuor subsidio solatioqve fulti. Unus ex  
codem vegetus & valens aderat, cuius juvenili ro-  
bore ipsius venerabilis senecta niteretur, Johannes  
Georgius III. Et hic ipse ex auspicatissimô cum Re-  
giâ Danorum PRINCIPE conjugio, duobus saltem  
Filiis ætatem prolaturis, Augustissimos Parentes,  
Regiones subjectissimas, & subditos expectatione  
anxiâ suspensos refovebat. Fragilem mortalitatem  
ergò generis humani anxiè nobiscum reputantibus,  
ingens timor, ingens angor obrepebat. Obrepe-  
bant animis qvorumlibet, qvæ Regnis ex incertô  
successore Principis accedunt, damna & pericula.  
Scilicet, ab omni hominum memoriâ compertum  
est, deficiente certô successore, Regna, atq; Princi-  
patus, velut alia in medio posita, bellis, latrocini-  
is, rapinis, aut ad minimum dissidiis patere, qvibus  
non nisi Regionum Vastitas, hominum cædes, fortu-  
narum omnium jactura finem facit. Tristia hæc &  
miserrima fata è longinqvô prævidentes incolæ, non  
vitæ magis Principum, morbis aliisq; dubiis & an-  
cipitibus periculis obnoxiae, qvam suæmet saluti-  
metuebant. Et is qvidem metus, ista trepidatio  
tunc multùm augebatur, cum non Pater modo, ex  
qvo geminum hoc fulcrum Saxoniæ descenderat, no-  
vas victoriæ, versus Ortum & Austrum reportatæ,  
facturus accessiones, violenta morbi vi correptus,  
Tubingæ decederet: verum etiam, paucorum inter-  
jecto annorum cursu, alterum ex his *Electoralis* Fa-  
miliae fulcris, præmaturô prorsus lamentabiliqve-  
obitu, extingveretur. O qvot hinc gemitibus, su-  
spiriis singultibusqve resonabant tecta & parietes  
C templo-

templorum, arcium, & publicarum, imò privata-  
rum ædium? Qvantis omnes subditi madebant la-  
crys? Certè, si doloris & terroris indicem, qvo  
splendor conclave, & corporum nostrorum ha-  
bitus obscurabatur, etiam in ipsis animi recessibus  
spectare licuisset, nihil hic, præter exqvisitissimos  
mœrores & angores, qvos metus futuri elicuerat, fu-  
isset obvium.

Eqvidem permagnum aderat erepti PRINCI-  
PIS & ELECTORIS ex divinitus proviso & para-  
to Fratre successore solatum. Qvi enim, ab ineunte  
ætate, non obscura magnitudinis futuræ documenta  
dederat: qvi animum imbuerat linguis & scientiis  
augusto stemmate dignissimis: corpus exercitorum  
usu facili, qvem superare omnibus negatum, æqua-  
re vix concessum erat ulli, commendaverat: qvi  
Europæ Regiones celeberrimas, non ut multi, fa-  
mâ cognitas habebat: sed suis met oculis inspexe-  
rat, & solerti peragratione illustraverat: qvi, qvâ  
exteris sui compleverat admiratione, etiam hostes,  
jam multoties in prælio conspicuus, & perrarâ For-  
titudine insignis, perculerat, FRIDERICUS AU-  
GUSTUS, habenas Imperii Electoralis capessens,  
faciebat, ut plus reliquisse viderentur fata, qvam  
abstulerant. Exsangvis tamen admodum, & penè  
dixerim infirma erat subditorum spes & expecta-  
tio, qvamdiu novus hic *Elector*, qvi Successor Fra-  
tri, præter expectationem mortuo, contigerat,  
Successore Filiô carebat. Hinc, qvas preces *Ele-  
ctori* devovebant subditi, iisdem etiam hæc anne-  
tebant Vota:

O veniat, veniat, felici sydere Natus,  
Et reprimat patriæ damna timenda domus!

Hujus

Hujus verò voti, in qvō iterando tota hactenus de-  
fixa fuerat *Saxonia*, tandem nos convictos reddidit  
benignitas, & Regionum commodis intenta, DEI  
providentia. Idem enim ille DEUS, qvi *Saxoni-*  
*am* ex profundissimis Idolomaniae tenebris ad lu-  
cem Evangelii provexit: qvi *Wittekindo* stemmati-  
assertor atq; propugnator extitit, prohibiturus, ne  
familia Electoralis, successorem qvæ situra, nullō De-  
scendente obviō, ad latera respiceret: nostris, si non  
expugnatus, exoratus tamen precibus humillimis,  
tandem, partu *Matris Electricis* felicissimō, deside-  
ratum *Juventutis Principem* concessit. Jam decesse-  
rat æstivi temporis amœnitas, & qvicq; vid pomifer  
Autumnus rusticis laboribus promittit, avidis de-  
cerpebatur manibus. Decerptis ditabant horti Do-  
minorum operam hinc inde fructibus: decerptas  
pollicebantur uvas torculari vineæ: & *Saxonia*,  
qvousq; tandem etiam porrigitur, totius anni spe,  
aut jam collectâ & repositâ, aut adhuc colligendâ,  
& in usum temporis futuri reponendâ lætabatur.  
Non exigua hæc sunt, qvæ, *Auditores*, omina pro-  
posui. Sed, qvò longius excurrit mea ad *Vos* verba  
facientis meditatio, aliud ex aliō succurrit omen.  
Volvebatur enim inter istas, qvas commemoravi,  
breviter, delicias Autumni, hebdomas, qvâ post  
*Fidem*, *Spei* atq; *Charitatis* annua memoria repetitur.  
Hâc hebdomade, hâc ipsâ, cui SPEI nomen Fasti  
& Annales præfixerunt, die, nostram SPEM diuti-  
us frustrari noluit Supremus Orbis Arbitr, sed PA-  
TRIÆ SPEM (liceat enim datum nobis atq; na-  
tum *Principem* hōc Axiomate constanter insignire)  
benignissimè concessit. Qvæ dies, qvot silentio  
indormientes loqui: qvot, privatis pariter & pu-  
blicis

blicis doloribus compunctos, iterum lætari: qvot,  
de stemmatis *Electoralis* flore desperantes, iterum  
benè sperare docuerit: vel Oratorum disertissimus  
non eâ, qvæ tantæ rei debet, rerum ac Verborum  
Majestate exposuerit. Arbores, eodem, qvô *Elec-*  
*toralis Princeps* nascebatur, tempore, maturis frugi-  
bus, ditare sui qvæq; Dominum agelli properabant:  
& eòdem intervallô etiam *Electorale* Stemma, arbo-  
ris in morem, frondibus & fructibus exornatissi-  
mum, SPEM non unius anni, sed seræ posteritati-  
de cerpendam atq; asservandam offerebat. Plenis  
labris tunc vindemia spumabat, vinô, omnis gene-  
ris laboribus exhaustis delassata Colonorum mem-  
bra, refectione: & eòdem anni tractu *Conjux Electoris,*  
*Regis Potentissimi*, Maritum serenissimum valente-  
vegetaq; masculinâ prole Patrem faciens, idem-  
qvod natura vinum fundens, subditis præstabat-  
Certè, non fortuita hæc, verum imis reponenda  
sensibus existimo. SPEM amplissimam in ipsò  
SPEI festo edita SPES PATRIÆ inspirat omni-  
bus ac universis. Nam, nisi, (qvod DEUS prohi-  
beat! nos conjectura fefellerit: *Princeps Regius*, fa-  
stigii *Electoralis Hæres*, terras Saxonicas, velut-  
Autumnus hortos atq; vineas, ornabit & ditabit:  
subditos exhilarabit, pascet, delectabit, conforta-  
bit. Qvare, *Tibi laus & gratiarum actio à nobis*  
qvidem omnibus decernitur, æterne DEUS, qui-  
*Avo & Pro-Avis Nepotem, PATRI filium, Saxonie*  
*Principem & Dominum* hâc ipsâ die clementissi-  
mè largitus es! O serva porrò isthoc tuum munus  
atq; beneficium! Imò serva hoc Tuum terris Sa-  
xonicis demissum cœlitus Palladium! serva suum-  
stemmati Wittekindeo decus: serva nobis porrò  
hanc

hanc tot olim votis expetitam, & in ipso Spei Festo  
benignissimè exhibitam SPEM PATRIÆ! Ast,  
qvid votis Te adorior, æterne DEUS? jam servasti  
per septennium, qvod per te porrò benignissimè ser-  
vatum, cupimus. Nam, dum portum, ad qvem ve-  
la vertere institui, respicio, PATRIÆ SPEM feli-  
cissimè servatam superesse video. Non tot, ortâ  
tempeslate, ad navigiorum cursum cohendum  
præliaentes conspirare solent venti, qvit in recens na-  
ti hominis valetudinem & vitam morbi, alii post  
alios, conspirant. Hinc, qvæ mors adhuc in uterô  
latentibus minari, fortius instare claustra, tempore  
præfixô, rumpere conantibus, in more habet pos-  
tum: eadem in cunis versatilibus repositis perpetuò  
vicina est. Ex qvo fit, ut etiam pleriq; Principum,  
eodem ferè temporis articulô, alternante subdito-  
rum plausu planctuq; oriantur, moriantur. Multi  
qvippe in Matrum amplexu, in Nutricum sinu red-  
dunt spiritum, qvem paucos ante dies mensesq; lu-  
cis in adspectum dederant. Multos bimulos aut  
trimulos mors festinata repetit, & terræ matriloci-  
lô condendos offert. Qvæ dum mecum reproto,  
qvid esse dicam recens natos Principes? Flosculos,  
qvos furentis Austri acriora flabra stirpe decutiunt:  
Arbusculas, qvibus aut radices agere negatur, aut  
felici incremento capita tollentibus, intensiore fri-  
gore vel æstu, vigor subducitur: Cometas, non in  
finem alium accensas & suspensas, qvam, ut extin-  
guantur & confestim evanescant: eos esse dicam.  
Principes plerosq;, ut Quintillum, fratrem Claudi Secun-  
di, saltem ostendunt terris fata, non concedunt ac re-  
linqvunt. Et profectò, qvoties, Historiarum monu-  
menta volvens, fata Principum excutio; cognosco,  
ipsa qvæsi Elementa Vitæ Principum perniciem ex-

D

itium-

itiumq; machinari. Multos *Aqua* haurit, & qvem-  
admodum non ita pridem *Christianum*, Serenissi-  
mum Hanoveranum Principem, funestissimis vor-  
ticibus absorbet; alios *Ignis* vis oborta lamentabili  
absumit exitu. *Terra*, cui, vestigia velociori gressu  
firmaturi, insistunt, multis, scrobibus objectis, pro-  
nō aut supinō lapsu vulnera intentat. Ipse tandem,  
qui nos ambit Aér, sæpe Principes salutem subdito-  
rum suâ morte, velut lytrô, redempturos venenatô  
halitu & flatu enecat. Et dies me citius, aut ve-  
stra audiendi patientia, qvam multitudo casuum,  
qveis Principes præcipitato extinguntur obitu, de-  
ficiat. Nam, si vel maximè natura cesseret adversa-  
ri vitæ Principum, attenuat eandem dissipatq; ho-  
minum non raro *inuria*, imò etiam *perfidia*. Perfi-  
diæ exemplum sceleratus, & olim *Friderico Placido*,  
supra qvam qvis animo concipere, aut cogitando  
possit alleqvi, acerbus & lugubris filiorum raptus:  
*incuriam* *Caroli Mönsterbergensis & Olsnensis* Prin-  
cipis, è Baptismate ad Illustrissimos Parentes refe-  
rendi, ast in viam, qvâ Olsnensis arx aditur, duriùs  
projecti obitus declarat. Qvod ergo, inter tot ad-  
versæ sortis fulmina, ab hinc septennio nobis nata  
SPES illæsa perstat, & in columnis: incomparabile  
divini Numinis est beneficium. Fuerunt enim &  
hic multa aspera & dura, tristia & luctuosa multa,  
qvæ, si Principi non superanda, formidanda tamen,  
vidimus. Ut enim alia taceam: servebat statim à  
nativitate nostri Principis, *Sarmatia*, Europæ universæ  
nocitoris ordinum discordiis. Ut ergo priùs seda-  
retur belli flamma, qvam in publicum incendium  
erumperet: *Elector*, Parens Principis, qvem, qvod  
olim *Alberto Animoſo* contigit, *Imperi dextram*, rerum  
gestarum conditores olim nominabunt, se, suasq;  
fortu-

fortunas & commoditates, pro quiete & Europæ  
pace, devovebat. Discedebat ex amplexu *Matri*,  
atq; *Conjugi*: & Regionum curam, curam item re-  
cens nati *Principis* Ministrorum fidei ac studio com-  
mittens, Sarmatas dissidiis erectum ibat. Atq; sic ca-  
rendum erat Principi *Parentis* Optimi aspectu ductu  
& auspicio: sic, ut affectus patrii fructum è longin-  
qvô saltem, & per internuncios, utcunq; degustaret.  
*Qvæ* res, qvàm acerba sit tenello, & ad legem di-  
sciplinæ patriæ formando Principi: omnes sanè co-  
gitatione tacitâ præsumserint. *Qvare* de hoc aspe-  
rō pueritiæ tunc nati *Principis* initio siluisse præsti-  
terit, qvàm verba cumulasse parùm ad jacturam ex-  
primendam facientia. Sufficit, divinum Numen  
*Patris*, informando atq; educando Principe, vices  
susceptas, felicissimō successu comprobasse. Ado-  
levit enim Princeps, & non saltem corpore, sed  
mente qvoq; spiritus alacriores atq; robur traxit.:  
Adolevit, & varia futuræ indolis, *Electoral*i imò *Re-*  
*gi* fastigiō dignissimæ, vultu, gestu, sermone, studi-  
is, documenta sparsit. Adolevit, & absentis *Regii*  
*Parentis* semper oberrantem animo imaginem intui-  
tus, gliscentes in pectore avitæ Virtutis igniculos  
sæpius foras erumpere permisit. Adolevit, & varia  
periculorum, novercantis fortunæ insidiis objecta,  
spicula vitavit. Testis est infracta, & qvandoq; tamen  
laceolla morbis, Valetudo. Testis est arx, magnâ  
sui, *Principis*q; domicilio ferè contiguâ parte, im-  
provisa ignis vi exusta & collapsa; Testis est hic ipse  
dies *Principis* *Natali* sacer, qvô in ipsô salvô atq;  
sospite vigere, florere, imò sensim maturescere SA-  
XONIÆ SPEM deprehendimus. Restat ergo, ut  
confiteamur, natum & servatum PRINCIPEM  
nos DEI qvidem beneficio in primis, interim ta-  
men

men simul Augustæ MATRIS, AVIÆq; precibus  
ac curæ: Ministrorum item *Fidei*, *Consilio*, *Industriæ*  
debere. Restat deniqve, ut fateamur: votis omni-  
um ac singulorum, ad qvos hæc Saxoniæ SPES  
pertinet, à DEO impetrandum esse, ut, illæfâ stir-  
pe, unicus hic flos *Electoralis Rutæ* porrò vegetus &  
firmus caput efferat, & felici incremento nostras.  
Spes non saltem expleat, sed superet. Ad Te ergo,  
summe DEUS, mecum tota se *Saxonia* convertit.  
Tu hunc *Augustissimis Parentibus* dedisti & servasti *Fi-*  
*lium*: Tu hunc subditis constituisti *Dominum*: Tu-  
hanc *Patriæ* proposuisti *Spem*. O serva porrò tuum  
munus, &, qvam in eodem nobis accendisti *Spem*.  
Non eripiat mors præmatura *Filio Parentes*: *Paren-*  
*tibus Filium*; sed triumphet PARENTS inter hostes,  
& exultet *Fili* florente Adolescentiâ ac jùventute:  
admiretur MATER *Augusta Filii* virtutes atqve-  
studiorum segetem: cognoscat atq; probet AVIA  
*Augusta Regiam*, & *Danico Saxonicoq*; Sanguini ge-  
mellam, indolem: gaudeant aspectu gratiâqve-  
**PRINCIPIIS** *Ministri*, & adhibitæ in eum Curæ  
Fidei qvæ præmia prævideant! Firmetur, imò obsi-  
gnetur subditis, de suo PRINCIPE, successu tem-  
poris, amplissima qvæqve sperantibus, Fiducia-  
Sic, Jehovâ sospitante, vitæ stationem ipsi proce-  
suram, ut, qvæ ejus vitâ nititur, SPES PATRIÆ,  
ab hinc septennio *exhibita*, & hōc annorum tractu  
*benignissime servata*, nunqnam tristibus suspiriis in  
numero viventium desideretur!

Dixi.



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

15.17 Feb. 1993  
15. Sep. 1995

24. Juli 1990  
12. Mai 1998

07. Juli 1998

10. Nov. 1994

15. März 2000

17. März 2000

digitalisiert am 06.11.2011 PPN: 328046175

SACHSISCHE LANDES BIBLIOTHEK



2 0068539

